



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

XXVI. De fidelitate dominis exhibenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

duſ obtinuit, Dei noſtri voluntatem feciſſe, dum licuit. Tunc fane recipiemus vniforme ſtipendium ſecundum opera noſtra. Væ qui promeruerit ſempiterna ſupplicia.

## XXV.

Renuntiemus ſedulo peccatis noſtris, & confeſſionibus & abſtinentiis expiemus, & quod nobis fieri volumus aliis faciamus. Hoc iudicium noſtrum eſt, & fane beatus & Deo gratus eſt qui iudicium hoc ſincere tenuerit ad gloriam omnipotentis Dei, cuius ſumus miſeratione conditi, precio magno redempti.

Quicumque Chriſtianus, ſicut vere neceſſarium eſt, dignam Chriſtianitati ſuæ curam impendat, & ad perceptionem communionis dominicæ ter ſaltem in anno ſe præparet, vt non hoc ad iudicium, ſed ad remedium ſalutare, manducet: & quiſquis amicus Dei eſt, verbis & operibus rectitudinem flagitet, fidem & ſacramenta caute cuſtodiat.

Omnis iniuſtitia de finibus noſtris quantum poſſumus expellatur, & Dei iuſtitiam dictis & factis deinceps amplectamur: tunc eius miſericordiam propitiatus impetrabimus. Item faciamus ſicut adhuc perſuaderi volumus.

## XXVI.

Simus dominis noſtris per omnia fideles & credibiles, & eorum gloriam totis viribus exaltemus, & velle faciamus: quia quidquid pro recta dominorum fidelitate facimus, & magnam nobis vtilitatē facimus, & ſcienter Deus illi fidelis eſt, qui domino ſuo fidelis eſt: & vnicuique domino magnum opus eſt, vt hominem ſuum recte deducat.

## XXVII.

Omnes Chriſtianos ſedulo commonemus, vt puro corde ſemper Deum diligant, & catholicæ Chriſtianitatis fidei digne ſeruiant: ſanctis eccleſiæ doctoribus deuote pareant, Dei leges & doctrinam fideliter inueſtigent, ſemper & aſſidue ſibimet ad vtilitatem. Et omnis Chriſtianus addiſcat vt ſaltem ſanæ fidei rectam intelligentiam habeat: & ſciat Pater noſter, & Credo in Deum, quia per illud Deum exoramus, per aliud rectam fidem declaramus. Chriſtus ipſe primus hanc orationem protulit, & diſcipulos ſuos docuit; in qua ſeptem petitiones ſunt, & quiſquis eam intimo corde cantabit, cum ipſo agit de quacumque neceſ-